



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Auarus quomodo se ipsum cruciet?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

zurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiari posset. Comperi etiam viri fidem, si quando ei onum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ego scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei iniustiam, qua lachrymas pauperum vestro ulciscatur iniunio. Hæc Ambrosius.

Quæ confirmantur quotidiana experientia eorum, quibus pecunia est pro anima, argentum pro sanguine, aurum pro vita; nam hanc malunt fundere, quàm nummos perdere. Quæ S. Asterius grauitè & disertè his verbis confirmat. *Anarus propinquus est odiosus, famulus grauis, amicus inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atq; sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdumq; sollicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens ac differens, eorum more, qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt, deniq; cum omnibus abundat, tamquàm omnium egenus ingemiscit; presentibus non fruitur; qua absunt, anxie quaritat; proprijs non vititur; & ad aliena oculos adicit. Multi (inquit) in istius grege agni: stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota reguntur. At si pinguem & bene habitam onem vicini videris, misso proprio grege in vnâ, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quæ de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum edes coangustat, sine vsu, sine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis potest, quisquis insatiabilis: estq; domus eius similis conditorijs, siue sepulchris, qua saepe plena sunt auro atq; argento, cum qui utatur existat nemo. Corpus auari non alitur; anima nihil lucratur, quia non exuberat è dextera eius elemosyna. Quis autem laboris & erumna finis? Dicat eorum aliquis, quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam cum in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & astiment. Nam si fortè medicus remedium eis parabile prescribit, ac parui pretij, ex apio puta, thymo, vel anetho, qua passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperant. Si verò medicamentorum eiusmodi mentio, que ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex vnguentaria petenda sunt, animam potius exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum cum mente & cogitationibus terreni sint, terrestriù possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.*

Quid jam mirum, si in alios sauit, qui amore diuitiarum se ipsa

XII.

S. Asterius
hom. de auaritia.

XIII.